

**MISCELLANEA
TIGURINA,**

**EDITA, INEDITA, VETERA,
NOVA, THEOLOGICA,
HISTORICA, &c. &c.**

**OMNIA PARTIM RARIORA, PARTIM
LECTU AD PROPECTUM IN ERU-
DITONE ET PIETATE
UTILIA.**

III. Theil. III. Außgabe.



VIRTUTIS GLORIA MERCES.

Zürich.

**Betruckt in der Gefnerischen Truckerey.
AN. M D C C XXIV.**

modum legentes conciones meas, exactius intelligere possitis. &c. Post pagellam unam alteramque interjectam desiderata Authoris manus deficit.

De Fabritio Montano tantum.

III.

(*) VITA

Joannis Fabritii Montani,
eodem Authore.

LECTORI S. D.

Quisquis es Aonidum qui captus amore Sororum,
Carmina Fabritii qualiacunque legis;
Scireque forsan aves, quæ patria, quive parentes,
Quove mihi puero vita peracta modo?
Accipe: sic etiam veniens non nesciet etas,
Paucula de vitæ conditione meæ.
Fertilis Alsatia regio jacet inclyta fama;
Quam mediam liquidis irrigat Illus aquis;
Illus iter leni peragens sine murmure tractu,
Nobilis obliquo tramite sulcat humum.
Altera pars Rheno, pars cingitur altera Baccho,
In medio regnum possidet alma Ceres.
Hæc mihi nascenti dedit incunabula tellus;
Hinc numero vitæ stamina prima meæ.
Sed tamen ut dulcis patriæ quoque mœnia noris,
Hanc Superos Montes incola turba vocat.
Urbs vetus, argenti quondam ditissima venis,
Nunc etiam locuples fertilitate soli.

Undi-

(*) Et hanc Fabritii vitam ab ipso scriptam metroque innexam, scio, amans Poeticæ Lector haud illibenter e. e.

Undique pampineo vestiti palmitē colles,
 Undique nativas explicat arbor opes.
 Hic domus, hic sedes, & aviti limina tecti;
 Hanc tenero pressi poplite nixus humum:
 Hæc eadem genuit clarum pietate Leonem,
 Ipse meæ frater qui genitricis erat.
 Mœnia Rhenanus patriæ vicina colebat;
 Nec Pellicanus longius ortus erat.
 Cum primum teneras rupi vagitibus auras,
 Per medium libræ Phoebus agebat equos;
 Anno Romuleas quo cepit Carolus arces,
 Papa sibi turpi consuluitque fuga.
 Ipse Pater, quamvis modici possessor agelli,
 Inter honoratos pars fuit una viros.
 Tres fuimus numero fratres de stirpe virili,
 Fæminei sexus edita nulla soror.
 Horum qui minimus gemino de funere resto;
 Nam reliquos pridem mors tulit atra duos;
 Septima jam vitæ puero mihi venerat ætas,
 Cum patrii linquo rura beata soli.
 Ducor ut ingenuus rudis erudiendus ad artes,
 Consecror & studiis, Urbs Tigurina, tuis.
 Hoc Deus & chari pariter voluere parentes;
 Hoc Leo susceptæ maxima causa viæ.
 Helvetiæ veteres sic fata requirere sedes,
 Sic pia majorum visere busta jubent.
 Salve gens priscis Heroibus edita! Salve
 Urbs pia, non uno nomine chara Deo!
 Tu facile puerum venientem suscipe vultu,
 Tu placidam fesso porrige quæso manum.
 Nam nisi cuncta meam fallunt præsagia mentem,
 Ipse tuus posthac semper alumnus ero.
 Sic tua quæ Cæli se gloria nubibus æquat,

Perpetuum stabili sydere neſtat iter.
 Mater ad optati divertit limina fratris,
 Cum famulo noſtræ dux fuit illa vie.
 Ora ſenem lacrimis maduerunt, mutua quando
 Gaudia ſunt vultu teſtificata ſuo.
 Mox dextram complexus avunculus, oscula figit,
 Dulcibus & verbis triſtia corda levat.
 Sic hilares aliquot numeravimus ordine luces,
 Cum ſubito leti præteriére dies.
 Hei mihi, jam repetit mater natalia rura,
 Linqwor in ignoto ſpens puer ipſe ſolo.
 Chara vale genitrix, vale o chariſſime nate:
 Hec geminans, ſummum dixit uterque vale.
 Eminus hanc oculis abeuntem perſequor udis;
 Inteſtina coquens implicat ora dolor.
 Poſt ubi digreſſam fugientia lumina linqunt,
 Tunc etiam nigras ſol abit in tenebras.
 Parce, precor, lachrymis puerilibus hospita tellus,
 Nam pietas odii nil habet iſta tui.
 Debita nature ſolvendaque munera reddo,
 Quid mirum genitrix ſi pia corda movet?
 Vivo Dei primum, mox munere vivo parentum,
 Cedo magiſterio tertia jura tuo.
 Tu mea, quo recte vivam, modo peſtora forma,
 Alma parens, monitis officioſa bonis.
 Jam Leo Muſarum ſacro me limine ſiſtit,
 Jam rigat Aoniis ora diſertus aquis;
 Jam videor plenis volitare per æquora velis,
 Cum ferit adverſam dira procella ratem.
 Sic nihil in terris firmum manet omnibus horis,
 Invida dilectum fata tulere ſenem.
 Qui mihi dux vite, qui ſax erat atque magiſter:
 Hec fuit ingenii prima ruina mei.

Deſi-

Desidis hinc vacui traducere tempora vite,
 Lentius & pigro cœpimus ire pede.
 Cymba velut rectore carens agitatur ab undis,
 Et stabili cursum lege tenere nequit:
 Sic nequirit mea vita suo spoliata magistro,
 Amplius inceptam continuare viam.
 Non ego vos culpo, Doctissima pectora, Patres,
 Urbs Mœcenates quos Tigurina dedit.
 Vos stimulos soliti crebro, vos subdere calcar,
 Vos residis vigili corda movere manu.
 Si nihil, aut modicum profeci, culpa, fatebor,
 Una mea est, pietas crimine vestra caret.
 Sed bene: quos aliquo Deus est aucturus honore,
 Ex humili sensim tollit ad alta gradu;
 Deprimit ut relevet; ferit, ut data vulnera sanet;
 Nec semel a nigro ducit in astra rogo.
 Vestra mihi teneros assignat cura puellos;
 Turba ministeriis hæc erat apta meis.
 Hinc procul Hæsiacas, vestro quoque munere, terras,
 Et peto Lanicolæ tecta sacrata Scholæ.
 Hic, ubi Lotichii primus mihi contigit usus,
 Hic, ubi non dubia notus es, Alte, fide;
 Dulcis amicitie mihi fœdere junctus uterque,
 Ambo pars animæ magna fuere mee.
 Vera loquor, quamvis possit res mira videri,
 Ibant jam vitæ bis duo lustra mee,
 Cum mihi nec spondens adhuc, nec dactylus esset
 Notus, Apollineæ tam rudis artis eram:
 Quicquid enim primis dictarat avunculus annis,
 Squaluerat longo temporis omne situ.
 Sive sed hæc temere, seu fortiter ausa capessi,
 Musa tamen volitat nostra per ora virum.
 Hoc amor, hoc probitas, & sedula cura Secundæ,
 Hoc potuit venis insita flamma meis.

Blas-

Blanda statim libo Peligni carmina Vatis;
 Jungo quibus numeros, culte Tibulle, tuos.
 Imbuit hinc nostros limatus Horatius aures;
 Ducit ab his felix in sua castra Maro.
 Hos sibi proposuit crescens mea Musa magistros;
 Carminis hos ipsos est imitata duces.
 Si tamen infelix tenuem vix assequor umbram,
 Hoc etiam fatis, Lector amice, dabis.
 Jam juga Parnassi scansurus ad ardua tendo,
 Cum me præcipitem vasta ruina trahit.
 Irrequieta novo trepidat Germania motu,
 Et fera civili sanguine bella tument;
 Delius, atque Novem pariter fugere Sorores,
 Ingemuit fracta Calliopœa lyra.
 Non bene virginibus cum sevo Marte puellis
 Convenit, incesti militis arma timent.
 Interea nos arva procul que Menus inundat,
 Noridos infestos & peragramus agros.
 Sic alacres animum juvenum, sic vota ferebant,
 Civica magnorum castra videre ducum.
 Fama Melanchtonis post hæc, & cura Secundi
 Carpere difficili tempore suadet iter.
 Per medios hostes penetramus ad Albidos urbem,
 Te dubias, Funcci, concomitante vias.
 Doctorum jam turba frequens excesserat urbe,
 Hoste fero pavidos incutiente metus.
 Unus erat reliquus tecum, Peucere, Philippus;
 Attulit hanc vobis publica causa moram.
 Cernere nil tota potuerunt lumina vita
 Gratius, ora pii quam veneranda senis.
 Ut dedimus dextras, lachrymis sic insit obortis:
 Quis vos, o juvenes, huc malus error agit?
 Vivimus hic miseri nimium lachrimabile tempus;
 Re-

Rectius Helvetiæ vos tenuisset humus.
 Tempora nunc ea sunt, memorat quæ carmine Naso,
 Quæque piis gemitus jure movere queant:
 Vivitur ex raptō, non hospes ab hospite tutus,
 Non socer a genero, fallit ubique fides.
 Hinc quid Bullingerus agat, quid cognitus olim
 Pellicanus, adhuc vivat uterque? rogat.
 Hæc ita nobiscum pro tempore pauca loquutus,
 Grande quod urgebat mox repetebat opus.
 Nos veteres raptim salvere jubemus amicos,
 Lotichius quorum primus & Altus erat.
 Sic biduum tristi non amplius urbe morati,
 Protinus Albiaci linquimus arva soli.
 Nec tamen effugimus truculenti militis ora;
 Omne premebatur Marte furente latus.
 Post varios casus, exhaustaque multa viarum
 Millia, nos reduces urbs Tigurina videt.
 Inde meæ dederint vitæ quæ fila Sorores,
 Hic etiam brevibus commemorare libet.
 Evocor ad sacri mystes præconia verbi,
 Officium pariter jussus obire Scholæ.
 Ancipiti meæ sic exercita pectora cura,
 Sæpe sub ingenti pondere pressa gemunt.
 Quero tori sociam, thalami quæ fœdere juncta.
 Temperet auxilio munera nostra suo.
 Ducitur omnigena præstans virtute puella,
 Virginei rutilans flosque decusque chori.
 Fortunatus eram, nisi cœpta caduca fuissent,
 Inque auras issent irrita vota leves.
 Vix ubi facta parens me fecerat ipsa parentem,
 Occidit, & secum gaudia nostra tulit.
 Hanc tumulo condens, hæc verba novissima dixi:
 Hic jacet ardoris flamma sepulta mei.

Tempora funesto peragens lacrimosa cubili,
 Saucius in viduo pectore vulnus alo,
 Quod neque Pbyllirides sanare potentibus herbis,
 Pæoniæ poterant nec relevare manus.
 Una recens veteri medicina reperta dolori,
 Venit in amplexus casta puella novos.
 Hanc sacer Antistes Phœbi Schnelleside nympba
 Sustulit, & proprium munus habere dedit.
 Ipsa vetus prisca deducit origine stemma,
 Claraque Collina nomina gentis habet.
 Filia fœcundi non infœcunda parentis,
 Pignora jam lecti bis mihi sena dedit.
 Tres superant nati tantummodo, cætera mortis
 Præda, novem tumulis contumulata jacent.
 Omnibus una quies, spes omnibus una puellis,
 Angelica expectant signa suprema tubæ.
 Quod superest brevibus sic accipe, candidè lector;
 Ad metam properat nam mea Musa suam.
 Collegii studiosa cohors prope limina pontis
 Traditur auspiciis inde regenda meis.
 Ampla voluntatis mihi præstans signa Senatus,
 Ingenui civis nomen habere dedit.
 Auspiciis citius Rhetæas missus ad oras,
 Curie, quæ summis cingitur alta jugis.
 Hic annos herere novem mihi contigit, ex quo
 Tempore Christicolæ pasco minister oves.
 Interea variis Respublica fluctibus acta,
 Alterat instabiles irrequieta vices.
 In mediis igitur turbis quod carmina scribo,
 Horrida me circum saxa stupere puto.
 Quid statuunt de me venturis fata diebus,
 Una videt magni provida cura Dei.
 Quicquid erit, quæcunque manent me tempora tandem,
 Vita mihi Christus, mors mihi questus erit.
 Scripsi Anno Domini 1565. Novemb. die 5. etat. 39.